

8



1. Scrutinium religionum Hier. Kr. [unclear]
2. de Auctoritate S. Sca. et numero librorum  
canonicorum V. Sti. G. Calixti. 654.
3. de auctoritate antiquitatis Ecclae. G. Calixti  
praeses Resp. M. Th. Henricus. 639.
4. de S. Sca fide G. Calixti 637.
5. de Supremo iudicio liberum G. Calixti 661.
6. de persona Christi programmata G. Calixti  
tationem fasciculy G. Calixti 663.
7. programmata in F. Sol. G. Calixti
8. de Sacrificiis N. Si in cruce pacto fide  
Fr. Ur. Calixti 665.
9. Summa capituli relig. Chri. e corpore doctri  
nae Iulio excerpta G. Calixti 661.
10. Discursus de non servando Erist. religio  
in ista digna byzantinis G. Calixti 652.
11. de providentia Dei praes. G. Calixti 635.
12. Dei indefinitas p. M. I. Fr. Junius [unclear]
13. Historia Magoru c. 5. Matth. G. Calixti 664.
14. de primatu Rni Pont. G. Calixti. h. M. Hannoveran. 660.
15. de gratuita justificatione. disp. in auct. [unclear]
16. fide G. Calixti, Resp. D. Gerh. [unclear]
17. Responsum G. Calixti ad ep. Landgravi Hassae. 651.



19  
Q. D. B. V.  
DISPUTATIONE PUBLICA  
DEI  
INDEFINIBILI-  
TATEM

Consensu Ampliff. Facult. Philosoph.

IN  
ACADEMIA LIPSIENSI,

*tuebuntur*

PRÆSES

M. JOHANN. FRIEDERICUS

*Hennigfa* / Curiensis,

&

RESPONDENS

JOHANN. OHEMIUS, Gefell. Var.

SS. Theol. Stud.


*Ad diem XXIII. Jun. M.DC. LXXVII.*

---

Typis CHRISTOPHORI GÜNTHERI.

Q.D.B.V.  
DISPUTATIONE PUBLICA  
DE  
INDIFFERENTIA  
TATUM  
Consensu Ampliss. Facult. Philosoph.  
ACADEMIAE PRAGENSIS  
PRAESSES  
M. JOHANN. FRIEDERICUS  
Poenigenensis  
R. S. P. O. S. S.  
JOHANN. OETHELIUS, Gezell. V. G.  
22. Theol. Stud.  
M. D. C. C. C. L. X. X. I. I. I.  
THE CHRISTIAN THEOLOGICAL CENTRAL





Ἄνευ Περιομίσ.

**B**revitati litaturi multa otiose præfari nolumus. *An Deus definiri possit?* quæstio est apud Scholasticos & Theologos nostrates. Hujus ζητήματι & negativam hac Disputatione nos suscepturi, ipsam Disputationem receptissimò quidem, sed & commodissimò usu in Κατασκευαστικὴν & Ἀνασκευαστικὴν Sectionem discindimus. Faxit incomprehensibile Numen, ut castè de sanctissimâ Majestate ejus sentiamus!

I.

SECTIO Κατασκευαστικὴ τῆς Θέσεως.

§. I.

**H**omonymiam extremorum propositæ Quæstionis quod attinet, de vero nos DEO, Φαινόμενοις ac λεγομένοις Diis examusim oppositò, Definitionè itidem strictè ac specificè dictâ disquirere, cuius esse perspicuum arbitramur. Status igitur Quæstionis in hunc modum qualificatur: Num DEUS ita definiri possit, ut ipsi propriè dictum genus & adequa-  
A 2 ta dif-

ta differentia queat assignari? (Alia quæstio est: An describi possit? Hanc nemo vocabit in controversiam) Nos negamus.

§. II.

Definitio in rigore sic dicta genere ac differentiâ specificâ, veluti partibus definiti essentialibus, absolvitur. Id docet *Philosophus* L. VI. Top. c. IV. §. 5. Decet, inqviens, eum, qui NB. rectè definit, ex genere ac differentiâ definire. Et L. VII. Met. c. XII. t. 43: Nihil aliud est in definitione, quàm genus & differentia. Arguo: Quicquid ergò de genere ac differentiâ participat, definibile est; & contra: Quod eorundem impatiens, eò ipsò ex definibilium censu jure meritoqve exulat. Posterius nos de DEO probaturi, argumenta ex Genere, Differentia ac Subjecto Quæstionis eruimus, quibus τὰς λόγους Theologorum, nec non Veterum testimonia succinctè ultimùm associamus.

§. III.

Primam sedem argumenta ex Genere exsculpta occupabunt. I. ab ejus potentialitate. Nulla notio potentialitatem inferens de DEO est predicabilis. Genus est notio potentialitatem inferens. E. de DEO non est predicabile. Connexio patet, quia consensu omnium Metaphysicorum DEUS est actus purus. Hic verò omnem potentialitatem excludit. Fingè ergò, DEO genus competere, non ampliùs actus purus, sed ex actu & potentiâ compositus, adeoque actus non-purus erit. Assumptum probo ex *Aristotele*, Genus simile materia, L. VIII. Met. c. XII. t. 43. & *Porphyrìo*, genus assimilari materia, c. VII. Hag. §. 10. apertè confitentibus: Sicut autem materia (explicat *Philosophus* τὰς πρώτας *Stablius* P. II. Regg. Phil. p. 283.) ex se nullam habet formam, apta tamen ad omnes suscipiendas; ita genus nullam earum differentiarum, quibus dividitur, actu includit, aptum tamen est eas recipere. Egregie! Aptitudo verò ad aliud recipiendum nonnè infert potentiam, & eam quidem passivam? Suffragatur *Thomas*: Species constituitur ex genere & differentia; id autem, à quo sumitur differentia, habet se ad illud, unde sumitur genus, sicut actus ad POTENTIAM, Part. I. contr. Gent. q. III. A. V. Et in h. l. *Bannez*: Licèt materia non sit genus, neq; forma sit differentia, ratio tamen generis sumitur à materia, sicut ratio differentia à forma: Sicut patet in homine, quòd natura sensiti-

VA, à

va; à qua sumitur ratio animalis, materialis est respectu rationis; à qua sumitur differentia rationalis. Animal enim est, quod habet naturam sensitivam; rationale verò, quod habet rationem. Cui ergò non inest potentia, ei etiam tribuere genus ἀφιλόσοφον est.

§. IV.

II. à partialitate. N. predicatum compositionem ex partibus inferens de DEO est enunciabile. Ἐυδηλον! Nam in DEO non sunt partes (1.) essentialis Metaphysicæ. De his enim quærimus. Nec Physicæ, quia non est corpus; & opposita (Anthropomorphitarum apud Augustin. de Hæres. c. L. p. m. 245.) sententia hæreseos notâ infamis est. Unde nec insunt (2.) integrales s. quantitativæ. Nec (3.) subjectivæ, quod probavimus §. VI. Atqui Genus & c. E. Minoris veritas inclarescit ex definitione generis, quod nonnullis, nec immeritò, definitur per prædicabile de pluribus differentibus specie incompletè. Arguo: Quicquid prædicatur in quid incompletè, illud prædicatur ut pars. Genus, ut audivimus. E. Nam, ut inquit B. Slevogt: In hoc differunt genus & species, quod conceptus generis non dicit totam quidditatem suorum inferiorum, sed ea inadæquatè saltim & incompletè exprimit; conceptus autem speciei dicit totam quidditatem suorum inferiorum, & propterea, quid ea sint, adæquatè & completè declarat. V.g. cum dicitur, homo est animal, prædicatio incompleta est: Prædicatum enim, et si quidditatem subjecti explicat, non tamen explicat eam adæquatè, quia non explicat rationale, quod etiam ad quidditatem hominis pertinet &c. Disp. de Rat. Gen. Ent. §. 24.

§. V.

III. à prioritate. N. notio in conceptu suo prioritatem ad aliud involvens de DEO est efferibilis. Quia DEO nihil prius est, nihil posterius, Scalig. Exerc. VI. Sect. II. Atqui Genus est notio involvens prioritatem &c. E. Minorem probat Philosophus L. VI. Top. c. VI. §. 16: Oportet differentiam genere esse posteriorem (E. genus differentiâ prius) Prioritatem ejus in ordine ad speciem ex professo deduxit Fonseca L. IV. Met. c. I. q. I. Sect. IIX. ex c. XII. Categ. §. 3. (NB. Addo, quòd ipsam Definitionem ex (naturâ) prioribus conflare oporteat, VI. Top. c. IV. §. 2. E. vitiosè DEO assignitur) Quod Goclenius secundum nostrum conceptum prius

DEO competere apud B. Meisn. Philos. Sobr. P. I. p. m. 1175. excipit, nihil excipit. Conceptus enim ille DEO aut conformis, aut difformis est. Si conformis, corrumpit distinctio; si difformis, falsus, & non DEI conceptus existit. Sicut enim falsa est pictura, quæ non respondet rei depingenda; sic conceptus mentis erronei sunt, qui à natura objecti cognoscendi discrepant, philosophatur acutè Meisn. loc. cit.

§. VI.

IV. à relatione ad speciem. Genus ut sic prædicatur de specie. Patet ex definitione. Est aliquid in genere simpliciter ET PROPRIE, SICUT SPECIES, inquit Thomas loc. supra cit. Subsumo: At qui DEUS non est species. E. de eo non prædicatur genus. De Minore constat. Species enim (1.) est Universale; DEUS singulare. (2.) Universalia juxta Nominales sunt nuda nomina (Occam. L. I. dist. II. qv. IV. sqq.) Ergone DEUM ipsis non fuisse pro ente reali habitum assereres? Perperam! (3.) Species continet inferiora, h. e. individua. Tres autem personæ in Deitate non sunt tria individua, quia non differunt essentiã numericã, quod Theologi explanant. Rem omnem breviter more suo complexus B. Dannhauerus: Omne genus propriè dictum, inquit, cum suis speciebus ac individuis in plurali numero multiplicatur, e. g. Abraham est homo, Isaac est homo, Jacob est homo. E. Abraham, Isaac & Jacob sunt tres homines. At in Divinis eodem modo loqui fas non est. Non licet e. g. dicere: Pater est DEUS, Filius est DEUS, Spiritus S. est DEUS. E. Pater, Filius & Sp. S. sunt tres Dii. Hodosoph. f. 179. sq. Pleniorè buccã Augustinus: Essentia Divina prædicatur de Patre, Filio & Sp. S. non ut genus de speciebus, nec ut totum de partibus, sed aliò quòdam ineffabili ac incomprehensibili modo, L. VII. de Trinit. c. VI.

§. VII.

V. ab ejus Univocatione. Genus propriissimè dictum est univocum. At qui Genus DEO tributum non est genus univocum. E. genus DEO tributum non est genus propriissimè sic dictum. Majorem statumina Porphyrius Isag. c. IX. §. 2: Genus ÆQUALITER tribuitur speciebus, quod c. sq. §. 3. explicat: Ac genus quidem quæ participant, equaliter participant; accidens autem non equaliter, quoniam intentionem



*sionem ac remissionem recipit participatio accidentium, generum non item. Assumptum probo: Genus illud vel Ens est, vel Substantia. Non illud, (1) propter defectum identitatis conceptus objectivi, cum alia sit objectiva entitas in DEO, quatenus ens est; alia v.g. in homine, quatenus ens est. (2) Abstrahere autem defectum istum, nihil lucraberis. Nam Ens transcendit Prædicamenta. E. vicem generis Logici suscipere non potest. De hoc enim NB. disquirimus. Non hoc, quia creator & creatura infinito intervallò inter se distant, nec quicquam est, quod æqualiter de utroque prædicari possit. Exquisite Augustinus: *Inspexi cetera infra te (DEUM) & vidi, nec omnino esse, nec omnino non esse: Esse quidem, quoniam abs te sunt; non esse autem, quoniam id, quod tu es, non sunt,* ap. Meisn. l. c. *Instas: Finitum & infinitum sunt quasi differentia inter DEUM & creaturas, à quibus præscindendum est (quò etiam Rada videtur inclinare, P. I. Controv. int. Thom. & Scot. contr. XXI. Art. I. Concl. V. p. 333.) Resp. Formaliter præscindi possunt; nego autem, quòd objective. Entitas enim DEI est in se & objective infinita ac independens, sicut creaturarum in se & objective finita ac dependens. Ubi autem nulla potest præcisio objectiva esse, ibi nulla potest fieri Univocatio, inquit acutissimus Scherzerus, Præceptor atque Patronus noster summâ animi devotione colendisimus, Brev. Eust. f. m. 508. collat. 499.**

§. VIII.

*Succedit Differentia. Argumentamur ab ejus perfectione: O. differentia susceptivum est perfectibile. Quia differentia actuat genus, uti forma materiam. Unde Scotus: Actuat per differentiam est aliqua perfectio, I. Dist. VIII. q. II. Atque DEUS non est perfectibilis. E. nec differentia susceptivus. Assumptum probo. DEUS est ens (1) perfectissimum (extensivè, ut nulla perfectio absoluta in ullò genere cogitari possit, quâ ipse destituatur; & intensivè, ut illa perfectio talis sit in summò gradu, Petav. Tom. I. Dogm. Theol. L. VI. c. VII.) E. non est perfectibilis. Perfectissimum enim omnem perfectionem actu includit. (2) Independens (quam independentiam acutè ex natura probavit λογικῆς ἰσότητος Cornel. Martin. Theol. Nat. f. 32. seq. Conf. Henr. Jul. Scheurl. Prof. Helmst. Epit. Theol. Nat. f. eod.) Perfectibile autem, quâ suam*



suam imperfectionem, dependentiam à perficiente involvere, cæcus sit, qv̄i non videat. (3) Perfectibilitas imperfectionem præsupponit. *At si DEO ulla perfectio ullâ ratione addi posset, DEUS non fuisset, quia perfectissimus non fuisset*, inquit subtiliter Magnif. Scherz. Breviar. Theol. MS. Loc. de DEO, §. XX.

§. IX.

Properamus ad argumenta ex subjecto Quæstionis, quod DEUS est, pullulantia. Primum est ab *Incomprehensibilitate ejus*. *Nullum incomprehensibile potest definiri definitione specificè dictâ*. Connexio patet. Cùm enim definitio sit explicativa rei essentiæ, mens autem rem cognoscibilem comprehendere nequeat, dic quomodo oratio, quæ intellectus interpret est, essentiam debitè explicabit? *At qui DEUS est incomprehensibilis* (etiam à beatis in statu gloriæ. Vid. B. Dannb. Hodof. f. 334.) quod supponimus. E. *Infinita*, inquit nervosè Damascen. *Et incomprehensibilis Divinitas, Et hoc solum ejus est comprehensibile, quòd infinita sit Et incomprehensibilis*, L. I. O. F. c. IV. Cùm ad illum (DEUM) mentis humanæ intentio, Et acumen, Et memoria pervenerit, quasi subductis Et consumptis omnibus viis, subsistit, hæret, deficit: nec est aliquid ulterius, quò progredi possit, Lactant. L. I. Inst. Div. c. VII. p. m. 23. Et quid multis? Habemus (infra Antagonistam) hîc confidentem Vorstium. DEUM, ait Disp. II. th. II. de N. D. & Nott. h. l. f. 152. sq. *non posse à nobis perfectè definiri, satis ex eo patet, quòd essentiam Et naturam ejus NON teneamus*. Siste homo. Quâ fronte ergò in eòdem contextu scribis, sententiam, quæ nullò modò DEUM definiri (si Descriptionem intelligis, extra choream saltas) posse contendit, parum firmâ ratione niti?

§. X.

II. *ab Infinitate*, quæ Incomprehensibilitatem ex se gignit. *Nullum (ex se) infinitum est definibile ullò definibilitatis modo*. Acusata enim sunt, infinitum & definibile esse; sicut immensum & mensurabile. *At qui DEUS est (ex se) infinitus*, quod adhuc supponimus (Vid. Dannb. l. c. f. 198. sqq.) E. Tò ex se propter Vorstium & Socinianos adjecimus, qui Infinitatem DEO ex parte nostri tantum concedunt. Sed ne moram nobis faciant, abeant interim

interim ad Colleg. Anti-Socin. Magnif. Scherzeri, qui perverso eorundem intellectui salutare conscripsit *Φάσμαρον*.

§. XI.

Ultimò argumentamur: *O. definibile definitur definitione vel essentiali, vel causali.* Propositio exhaurit latitudinem Definitionis. Atqui DEUS non definitur definitione causali, quia ipse est omnium causa & ultimus finis; nec essentiali, quod haecenus probatum. E. nullâ.

§. XII.

Theologi Indefinitatem DEI stabiliunt ex 1. Tim. VI. 16. (*DEUS lumen inaccessum habitat.* E. nec cognoscibile, nec definibile) & 1. Cor. II. 9. (*Oculus non vidit &c. qualia gaudia habituri sumus.* Si ergò vita æterna non potest à nobis definiri, multò minùs DEUS poterit) quæ latiùs apud ipsos diducta videas.

§. XIII.

Testimonia veterum tum Patrum tum Gentilium, fuggerunt B. Chemnit. & Gerhard. h. l. *Quantò magis cogito, tantò minus invenio, regressit sciscitanti DEI quidditatem Hieroni Simonides. Præclare Hilarius: Certè hoc est DEUS, quod cum dicitur, non potest dici, cum æstimatur, non potest æstimari, cum definitur, ipse suâ definitione crescit,* L. de Trinit. Hinc etiam veteres inter tria difficulter definibilia, peccatum scilicet ob summam deformitatem, materiam primam ob summam informitatem, etiam DEUM propter summam formositatem retulisse memorantur, juxta Excellent. Alberti, Præc. atqve Patronum nostrum honoratiss. in Disc. Phys. de Mat.

II.

SECTIO *Ἀνασχευασικὴ Ἀντιθέσεως.*

§. XIV.

**L**ustravimus breviter partem nostræ thesæos *ἑλληνικῆς*; reliquum, quod superest, chartæ, solvendis, quæ ultrò obvenerunt, objectionibus impendemus.

B

§. XV.



§. XV.

Obj. I. Mensura & mensuratum sunt in eodem genere. At-  
qui DEUS est mensura substantiarum, quia primum & perfectis-  
simum est mensura reliquorum. E. sunt in eodem genere. *ap. Thom.*  
*l. c. ex Arist. L. X. Met. c. 3. t. 4.*

Resp. (1) Unitas est mensura numerorum. Ergone in gene-  
re Quantitatis est? *Ανακόλῃον!*

(2) A mensura proportionis & adæquationis ad mensuram  
excessus & inadæquationis N. V. C. Illa in eodem genere est cum  
suo mensurato; non hæc item. DEUS enim ideo omnium sub-  
stantiarum mensura dicitur, quia unaquæque in tantum solum-  
modo habet de esse, in quantum ei (DEO) pro modulo suo ap-  
propinquat.

§. XVI.

Obj. II. Definitio est oratio, quæ, quid res sit, explicat. At-  
qui, quid DEUS sit, explicatur in Scriptura. E. Definitio ejus  
haberi potest ex Scriptura.

Resp. (1) Definitio est oratio explicans rem perfecte. Ergo  
DEUS perfecte definietur ex Scriptura? Obstat 1. Tim. VI. 16.

(2) Ab explicatione descriptiva ad definitivam N. V. C. Il-  
lam concedimus, etiam extra Scripturam; hanc negamus.

§. XVII.

Obj. III. Si DEUS non potest definiri. E. etiam non potest  
cognosci. *Vorst. ap. Gerh. h. l.*

Resp. (1) E. non potest cognosci perfecte & adæquate. Con-  
cedo.

(2) Potest tamen describi, juxta Obj. II. E. etiam co-  
gnosci.

(3) A cognitione ad comprehensionem, quas confundis,  
N. V. C.

§. XVIII.

Obj. IV. DEO competit definitio Substantiæ. (Est enim ens  
per se subsistens.) E. est in genere Substantiæ. *Commun.*

Resp. (1) Ita inferendum: E. est Substantia. Quid tum  
postea? Nam

(2) à Substantia Transcendentali ad Prædicamentalem N.  
V. C.

V. C. DEUS est substantia maxime, summe & infinite excellentior creaturis. E. non potest sub communem cum creatis substantiis, quæ infinite ab ipso distant, conceptum venire.

*Excip.* Atqui DEUS est in prædicamento Substantiæ. E. est Substantia Prædicamentalis, non Transcendens.

Resp. (1) Sed non proprie. Probabile enim videtur, recipe-  
re voluisse Aristotelem in Prædicamentorum civitatem eas tan-  
tum substantias, quæ quantitatis, & sitûs &c. possent fieri partici-  
pes, eæque sunt corporeæ. Vid. *Ammon. & Simplic.* in Comment.  
ad Categ. Substant. consentientibus plerisque Interpretum Græ-  
corum. Quò stereomate suppositò B. *Augustinus* de se ipso fate-  
tur L. IV. Confess. quòd in errorem Manichæorum de DEO  
quantitativo incidit.

(2) Quomodo Philosophus L. VII. Met. c. I. & I. Eth. c. IV.  
DEUM in prædicamento substantiæ collocet, (scil. non *πραγμα-  
τικῶς* s. univocè, sed *λογικῶς* s. secundum nostrum concipiendi  
modum) vid. apud Drejer. *Metaphys.* p. 172. sq. coll. 22.

### §. XIX.

Atque hinc flum abrupimus. Si, quod veremur, B. L. ex-  
pectationi ex asse non satisfecerimus, imputet id curtæ librorum  
& ingenii nostri suppellectili. Suò tempore comtiora fortean à  
nobis conspiciet. Vel enim propositam Quæstionem adumbrâs-  
se saltim erimus contenti. DEO verò gratiosissimo Numini sit  
pro concessis viribus laus & perennis gloria!

---

## COROLLARIA.

I.  
An DEUS sine absurditate possit in prædicamen-  
tum Substantiæ recipi? A.

II. An

II.  
An dentur actiones indifferentes secundum Individua? N.

III.  
An Voluntas in agendo determinetur a iudicio Intellectus? N.

IV.  
An DEUS influat influxu determinato? A.



COROLLARIA

An DEUS faciat miracula per se in praesentia  
sua substantia recte?

II. An











155 443


(X2818417)

VR

1017







19

Q. D. B. V.  
DISPUTATIONE PUBLICA  
DEI  
INDEFINIBILI-  
TATEM

Consensu Ampliff. Facult. Philosoph.

IN  
ACADEMIA LIPSIENSI,

*tuebuntur*

PRÆSES  
M. JOHANN. FRIEDERICUS  
Hennigka / Curiensis,

&

RESPONDENS  
JOHANN. OHEMIUS, Gefell. Var.  
SS. Theol. Stud.

*Ad diem XXIII. Jun. M.DC. LXXVII.*

Typis CHRISTOPHORI GÜNTHERI.

